

non est nisi illorum qui habent aliquam prudentiam de futuris, quæ usum rationis requirit, respectu cuius triplex gradus notatur secundum Philosophum in *L. Ethic.* Primus est, cum quis neque intelligit per se, neque ab alio capere potest: Secundus status est, cum homo ab alio capere potest, sed ipse per se non sufficit ad intelligendum. Tertius est, cum homo & ab alio jam capere potest, & per seipsum considerare. Et quia ratio paulatim in homine conualescit, secundum quod quietatur motus, & fluxibilitas humorum; ideo primum statum rationis obtinet homo ante primum septennium, & propter hoc illo tempore nulli contractui aptus est, & ita nec sponsalibus. Sed ad secundum statum incipit homo pervenire in fine primi septennii, unde etiam tunc temporis pueri ad scholas ponuntur. Sed ad tertium statum incipit homo pervenire in fine secundi septennii quantum ad ea quæ ad personam ipsius pertinent, in qua ratio naturalis citius conualescit; sed quantum ad ea quæ extra ipsum sunt, in fine tertii septennii. Et ideo ante primum septennium nulli contractui homo aptus est, sed in fine primi septennii incipit esse aptus ad aliqua promittendum in futurum, præcipue de his ad quæ ratio naturalis inclinatur magis; non autem ad obligandum se perpetuo vinculo, quia adhuc non habet firmam voluntatem: & ideo possunt tali tempore contrahi sponsalia. Sed in fine secundi septennii jam potest obligare se de his quæ ad personam ipsius pertinent, vel ad religionem, vel ad conjugium. Sed post tertium septennium etiam potest de aliis se obligare, & secundum leges constituitur ei potestas disponendi de rebus suis post viginti quinque annos.

Ad primum ergo dicendum, quod si ante annos pubertatis fiat contractus sponsalium per alium, ambo, vel alter reclamare possunt: unde tunc nihil est actum, adeo quod nec aliqua affinitas ex hoc contrahatur: & ideo sponsalia quæ inter aliquos per personas alias contrahuntur, robur habent in quantum illi inter quos contrahuntur, ad ætatem debitam venientes non reclamant, ex quo intelliguntur consentire his quæ per alios facta sunt.

Ad secundum dicendum, quod quidam dicunt, quod ille puer de quo Gregorius narrat, non fuerit damnatus, nec mortaliter peccavit; sed visio illa ostensa fuit ad patrem contristandum, qui in illo peccato peccaverat non corrigens. Sed hoc est expresse contra intentionem Gregorii dicentis, quod pater pueri animam parvuli filii negligens, non parvum peccatorem gehennæ ignibus nutrit. Et ideo quod ad peccatum mortale sufficit etiam consensus præsens; sed in sponsalibus est consensus in futurum. Major autem rationis discretio requiritur ad providendum in futurum quam ad consentiendum in unum præsentem actum: & ideo ante potest homo peccare mortaliter quam possit se obligare ad aliquid futurum.

Ad tertium dicendum, quod in tempore contractus matrimonii non solum requiritur dispositio ex parte usus rationis, sed etiam ex parte corporis, ut sit tempus generationi aptum. Et quia puella in duodecimo anno ad hoc venit ut possit esse actui generationis apta, puer autem in fine secundi septennii, ut Philosophus dicit in *IX. de animalibus*, de *histor. anim. Lib. V. cap. XIV.* simul autem usum discretionis accipiunt, qui tantum in sponsalibus requiritur; ideo in sponsalibus determinatur unum tempus utriusque, non autem in matrimonio.

Ad quartum dicendum, quod illa placencia quæ est in pueris ante septennium, non procedit ex perfectæ rationis usu, cum nondum sint plene suscepti-

biles disciplinae; sed magis contingit ex motu naturæ quam ex aliqua ratione; & ideo non sufficit talis placencia ad sponsalia contrahendum.

Ad quintum dicendum, quod quamvis per secundum contractum in casu illo non faciant matrimonium, tamen ostendunt se ratam habere priorem promissionem: & ideo prior contractus accipit firmitatem.

Ad sextum dicendum, quod trahentes navem agunt per modum unius causæ; & ideo quod deest uni, potest suppleri de altero: sed sponsalia contrahentes agunt ut distinctæ personæ; quia sponsalia non nisi inter duos esse possunt: unde in utroque requiritur quod sit sufficiens ad contrahendum; & ideo defectus unius sponsalia impedit, nec ex altero potest suppleri.

Ad septimum dicendum, quod in sponsalibus etiam similiter, si appropinquant contrahentes ad tempus septennii, contractus sponsalium habet robur, quia secundum Philosophum in *II. Phys. text. LVII.* quod parum deest, nihil deesse videtur. Hæc autem propinquitas à quibusdam determinatur tempus sex mensium; sed melius est quod determinetur secundum conditionem contrahentium: quia in quibusdam magis acceleratur rationis usus quam in aliis.

ARTICULUS III.

Utrum sponsalia dirimi possint altero religionem intrante.

1. **A**D tertium sic proceditur. Videtur quod sponsalia dirimi non possunt, altero religionem intrante. Quia de pecunia quam alicui promisi, non possum alteri licite obligationem facere. Sed ille qui sponsalia contrahit, corpus suum promittit mulieri. Ergo non potest se offerre Deo ulterius in religione.

2. **I**tem. Videtur quod nec debeant dirimi, quando alter conjugum ad longinquam regionem se transfert. Quia in dubiis semper tutior pars eligenda est. Sed tutius esset quod eum expectaret. Ergo teneretur eum expectare.

3. **I**tem. Videtur quod nec dirimatur per ægritudinem quam aliquis incurrit post contracta sponsalia. Quia pro peena nullus debet puniri. Sed vir qui infirmitatem incurrit, punitur in hoc quod ei jus suum auferitur quod in illam habebat, quæ sibi fuerat desponsata. Ergo propter corporalem infirmitatem non debent sponsalia dirimi.

4. **I**tem. Videtur quod nec propter affinitatem intervenientem, ut puta si sponsus consanguineam sponsæ fornicario concubitu cognoscat: quia secundum hoc sponsa puniretur pro peccato sponsi; quod non est conveniens.

5. **I**tem. Videtur quod non possunt se invicem absolvere. Quia hoc est maximæ levitatis, ut primo contrahant, & postmodum se absolvant. Sed talia non debent ab Ecclesia sustineri. Ergo &c.

6. **I**tem. Videtur quod nec propter alterius fornicationem. Quia adhuc per sponsalia unus non accipit potestatem in corpus alterius; & ita videtur quod in nullo contra invicem peccant, si interim fornicentur; & sic sponsalia dirimi non debent per hoc.

7. **I**tem. Videtur quod nec per contractum cum alia per verba de presenti. Quia secunda venditio non derogat venditioni primæ. Ergo nec secundus contractus potest derogare primo.

8. **I**tem. Videtur quod nec per defectum ætatis possint dirimi. Quia quod non est, non potest dis-

sol-

solvi. Sed ante ætatem determinatam sponsalia contracta nulla fuerunt. Ergo dirimi non possunt.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod in omnibus prædictis casibus sponsalia contracta dirimuntur; sed diversimode: quia in duobus, scilicet cum quis ad religionem confugit, & cum alter conjugum cum altero per verba de præsentibus contrahit, ipso jure sponsalia dirimuntur; sed in aliis casibus dirimi debent secundum iudicium Ecclesiæ.

Ad primum ergo dicendum, quod talis promissio solvitur per mortem spiritualem, cum sit spiritualis tantum, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod dubium illud determinatur ex hoc quod alter non compareret tempore statuto ad matrimonium perficiendum: unde si ex parte ejus non defuit quin matrimonium compleret, potest licite alteri nubere sine aliquo peccato; si autem per eum stetit quod matrimonium non est completum, debet agere penitentiam de peccato fractæ promissionis, aut juramenti, si juramentum intervenit, & contrahere cum alia, si vult, iudicio Ecclesiæ.

Ad tertium dicendum, quod si ante contractum matrimonium aliquam gravem infirmitatem incurrat alter eorum inter quos sunt contracta sponsalia, quæ ipsum nimis debilitet, ut epilepsia, vel paralysis; aut eum deformeret, ut abscissio nasi, vel orbitas oculorum, vel aliquid hujusmodi; aut quæ sunt contra bonum proles, ut prole lepra, quæ solet prolem inficere: possunt sponsalia dirimi, ne sibi invicem displiceant, & matrimonium sic contractum malum exitum sortiatur. Nec pro peena punitur aliquis, sed ex peena damnum reportat; quod non est inconveniens.

Ad quartum dicendum, quod si sponsus cognovit consanguineam sponsæ, vel è converso, tunc debent sponsalia dirimi; & ad hoc probandum sola fama sufficit propter scandalum vitandum. Causæ enim quæ in futurum expectant effectus suos, impediuntur à suis effectibus non solum ex eo quod est; sed ex eo quod futurum est: unde sicut affinitas, si esset tempore contractus sponsalium, impedivisset contractum illum; ita si interveniat ante matrimonium, quod est effectus quidam sponsalium, prior contractus ab effectu suo impediunt. Nec in hoc aliquid detrahitur alteri, immo ei conferitur: quia absolvitur ab eo qui per fornicationem Deo se odiosum reddidit.

Ad quintum dicendum, quod quidam non recipiunt istum casum, sed contra eos Decretalis est (Innocentii III. extra de spons. & matrim. cap. *Præterea*) quæ expresse dicit. *Ad instar*, (1) inquit, eorum qui societatem (2) fidei contrahunt, & postea eandem sibi remittunt, potest in patientia tolerari, si mutuo se absolvant qui sponsalia contraxerunt. Sed ad hoc dicunt, quod Ecclesia magis hoc sustinet, ne pejus eveniat, quam hoc sit de jure. Sed hoc non videtur exemplo convenire quod Decretalis adducit. Et ideo dicendum, quod non semper est levitatis retractare quæ prius firmata sunt: quia incertæ sunt providentiæ nostræ; ut dicitur in *Lib. Sapientiæ cap. IX.*

Ad sextum dicendum, quod quamvis nondum dederint sibi mutuo potestatem corporis sponsalia contrahentes; tamen ex hoc efficiuntur sibi invicem suspecti de non servanda fide in futurum: & ideo

In IV. Sent. Tom. V.

(1) *Forte redundat* inquit. (1) Nicolai: *interpositione fidei.*

potest sibi precavere unum contra alium sponsalia dirimendo.

Ad septimum dicendum, quod ratio illa teneret, si esset unius rationis uterque contractus, sed secundus contractus matrimonii est fortior primo, & ideo solvit ipsum.

Ad octavum dicendum, quod quamvis non fuerint vera sponsalia, tamen fuit ibi quidam sponsalium modus: & ideo ne videatur approbare ad annos legitimos veniens, debet petere solutionem sponsalium iudicio Ecclesiæ faciendam propter bonum exemplum.

QUÆSTIO III.

DEinde quæritur de bigamia: & circa hoc quærentur tria.

Primo. Utrum bigamiæ sit irregularitas adjuncta.

Secundo. Utrum solvatur per baptismum.

Tertio. Utrum possit dispensari in tali irregularitate.

ARTICULUS I.

Utrum illi bigamiæ quæ est ex hoc quod aliquis duas uxores successive habuit, sit irregularitas annexa.

1. **A**D primum sic proceditur. Videtur quod illi bigamiæ quæ est ex hoc quod aliquis duas uxores successive habuit, non sit irregularitas annexa. Quia multitudo, & unitas consequuntur ens. Ergo ens, & non ens non faciunt multitudinem aliquam. Sed ille qui habet successive duas uxores, quando una est in esse, alia non est in esse. Ergo ex hoc non efficitur vir non unius uxoris, qui secundum Apostolum ab Episcopatu prohibetur.

2. **P**ræterea. Majus signum incontinentiæ apparet in eo qui plures fornicarie cognoscit quam qui plures uxores successive habet. Sed ex primo non efficitur aliquis irregularis. Ergo nec ex secundo.

3. **P**ræterea. Si bigamia irregularitatem causat, aut hoc est ratione sacramenti, aut ratione carnalis copulæ. Sed non ratione primi, quia sic si aliquis cum una contraxisset per verba de præsentibus, & ea mortua ante carnalem copulam subsequenter duceret aliam, videretur irregularis; quod est contra decret. Innocentii III. (extra de bigam. cap. *Nuper*. §. *Nos autem*) nec iterum ratione secundi; quia secundum hoc etiam qui plures fornicario concubitu cognosceret, irregularis esset; quod falsum est. Ergo nullo modo bigamia irregularitatem causat.

QUÆSTIUNCULA II.

1. **U**terius. Videtur quod irregularitas non sit annexa bigamiæ quæ contingit ex hoc quod homo habet duas uxores simul, vel successive, unam de jure, & aliam de facto. Quia ubi nullum est sacramentum, non potest esse defectus sacramenti. Sed quando aliquis contrahit cum aliqua de facto, & non de jure, non est ibi aliquod sacramentum: quia talis conjunctio non significat conjunctionem, Christi ad Ecclesiam. Ergo cum irregularitas non consequatur bigamiam nisi propter defectum sacramenti, videtur quod talem bigamiam irregularitas non consequatur.

2. **P**ræterea. Aliquis accedens ad illam cum qua

In I. Sent. Tom. I.

judicium ni...

contrahit de facto, & non de jure, committit fornicationem, si non habeat aliam uxorem legitimam, vel adulterium, si habeat aliam. Sed dividere carnem suam in plures per fornicationem, vel adulterium non causat irregularitatem. Ergo nec prædictus bigamiæ modus.

3. Præterea. Contingit quod aliquis antequam cognoscat carnaliter illam cum qua de jure contraxit, cum alia contrahat de facto, non de jure, & eam carnaliter cognoscat sive prima mortua, sive prima vivente. Talis contraxit cum pluribus vel de jure, vel de facto; & tamen non est irregularis, quia carnem suam non divisit in plures. Ergo ex prædicto modo bigamiæ non contrahitur irregularitas.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod non contrahatur irregularitas ex hoc quod aliquis non virginem ducit uxorem. Quia plus impeditur aliquis defectu proprio quam alieno. Sed si ipse contrahens non sit virgo, non fit irregularis. Ergo multo minus si uxor ejus non sit virgo.

2. Præterea. Potest esse quod aliquis defloravit aliquam, & postea ducat eam in uxorem. Talis non videtur fieri irregularis, quia non dividit carnem suam in plures, nec etiam uxor ejus; & tamen ducit corruptam in uxorem. Ergo talis modus bigamiæ irregularitatem non causat.

3. Præterea. Nullus potest contrahere irregularitatem nisi voluntarius. Sed aliquis quandoque ducit uxorem non virginem involuntarius, ut quando credit eam virginem esse, & postea invenit eam fuisse corruptam, cognoscens eam. Ergo talis modus non semper facit irregularitatem.

4. Præterea. Corruptio sequens matrimonium est vituperabilior quam præcedens. Sed si uxor, postquam consummatum est matrimonium, ab alio cognoscatur, non efficitur vir irregularis; alias puniretur pro peccato uxoris: potest etiam esse quod postquam hoc sciat, reddat ei debitum poeenti antequam de adulterio accusata condemnetur. Ergo videtur quod ille modus bigamiæ non causet irregularitatem.

Sed contra est quod Gregorius dicit, Lib. II. Epist. indict. x. epist. xxix. *Præcipimus ne unquam illicitas ordinationes facias, ne bigamus, aut qui virginem non est sortitus uxorem, (1) aut ignoranter habens, vel qualibet parte corporis vitiatum, vel poenitentia; (2) vel curia cujuslibet conditioni obnoxium, ad sacros ordines permittas accedere.*

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod aliquis per sacramentum ordinis minister sacramentorum constituitur: & ille qui aliis sacramenta ministrare debet; nullum defectum in sacramentis pati debet. Defectus autem in sacramento est, quando sacramenti significatio integra non invenitur. Sacramentum autem matrimonii significat conjunctionem Christi ad Ecclesiam, quæ est unius ad unam: & ideo requiritur ad perfectam significationem sacramenti ut vir sit tantum unius vir, & uxor tantum unius uxor: & ideo bigamia, quæ hoc tollit, irre-

- (1) Gregorii textus: *aut ignorantem litteras.* (2) Idem: *vel curia, vel cuilibet conditioni obnoxium.*
(3) *Al. in omnibus.*

gularitatem inducit. Et sunt quatuor modi bigamiæ. Primus est, cum quis habet plures uxores de jure successive. Secundus, cum simul habet plures, unam de jure, aliam de facto. Tertius, cum plures habet successive, unam de jure, aliam de facto. Quartus, quando viduam ducit in uxorem. (3) Et omnibus his est irregularitas adjuncta. Alia autem causa consequens assignatur: quia in illis qui accipiunt sacramentum ordinis, maxima spiritualitas debet apparere: tum quia spiritualia ministrant, scilicet sacramenta; tum quia spiritualia docent, & in spiritualibus occupari debent. Unde cum concupiscentia maxime spiritualitati repugnet, per quam totus homo caro efficitur, non debet aliquod signum concupiscentiæ permanentis in eis apparere; quod quidem in bigamis apparet, qui una uxore contenti esse nolunt. Tamen prima ratio est melior.

Ad primum ergo dicendum, quod multitudo plurium uxorum simul existentium est multitudo simpliciter; & ideo talis multitudo totaliter significationi sacramenti repugnat, & propter hoc tollitur sacramentum: sed multitudo uxorum successive est multitudo secundum quid; & ideo non tollit significationem sacramenti totaliter, nec sacramentum evacuat quantum ad sui essentiam, sed quantum ad sui perfectionem, quæ requiritur in illis qui sunt sacramentorum dispensatores.

Ad secundum dicendum, quod quamvis sit in fornicariis majoris concupiscentiæ signum, non tamen concupiscentiæ ita adhaerens: quia per fornicationem unus alteri non in perpetuum obligatur; & ideo ibi non est defectus sacramenti.

Ad tertium dicendum, quod, sicut dictum est, bigamia causat irregularitatem, inquantum tollit perfectam significationem matrimonii, quæ quidem consistit in conjunctione animorum, quæ fit per consensum, & in conjunctione corporum; & ideo ratione utriusque oportet simul esse bigamiam quæ irregularitatem faciat: unde per Decret. Innocentij, ubi supra, abrogatur id quod Magister in littera dicit, scilicet quod solus consensus per verba de præsentibus sufficit ad irregularitatem inducendam.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod in secundis duobus modis bigamiæ contrahitur irregularitas: quia quamvis in altero non sit sacramentum, est tamen quædam sacramenti similitudo; unde isti duo modi sunt secundarii, & primus est principalis in irregularitate causanda.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis ibi non sit sacramentum, est tamen ibi aliqua similitudo sacramenti, quæ non est in fornicario, vel in adulterio concubitu: & ideo non est simile.

Et per hoc patet solutio ad secundum.

Ad tertium dicendum, quod in tali casu non reputatur bigamus, quia primum matrimonium non habuit perfectam suam significationem. Tamen si per iudicium Ecclesiæ compellatur ad primam redire, & eam cognoscere, statim efficitur irregularis: quia irregularitatem non facit peccatum, sed imperfectio significationis.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod in con-

junctione Christi & Ecclesiæ unitas ex utraque parte invenitur; & ideo sive divisio carnis invenitur ex parte viri, sive ex parte uxoris est defectus sacramenti, sed tamen diversimode: quia ex parte viri requiritur quod aliam non duxerit in uxorem, non quod sit virgo, sed ex parte uxoris requiritur etiam quod sit virgo; cuius ratio à Decretis assignatur: quia Episcopus significat Ecclesiam militanem, cuius curam gerit, in qua sunt multæ corruptiones; sed sponsa significat Christum, qui virgo fuit: & ideo ex parte sponsæ requiritur virginitas, sed non ex parte sponsi ad hoc quod aliquis Episcopus fieri possit. Sed hæc ratio est expresse contra Apostolum Ephes. v. 25. *Viri diligite uxores vestras, sicut Christus Ecclesiam: ex quo apparet quod uxor significat Ecclesiam, & sponsus Christum: & iterum quia vir est caput mulieris, sicut Christus Ecclesiæ. Et ideo alii dicunt, quod per sponsum significatur Christus, per sponsam significatur Ecclesia triumphans, in qua non est aliqua macula. Christus autem primo habuit synagogam quasi concubinam; & sic non tollitur aliquid de perfectione significationis sacramenti, si sponsus prius habuit (4) concubinam. Sed hoc est valde absurdum: quia sicut est una fides antiquorum, & modernorum, ita una Ecclesia: unde illi qui tempore synagogæ Deo serviebant, ad unitatem Ecclesiæ in qua Deo servimus, pertinebant. Et præterea hoc est expresse contra id quod habetur Hierem. III. Ezech. xvi. Osee II. ubi expresse fit mentio de desponsatione synagogæ: unde non fuit sicut concubina, sed sicut uxor. Et præterea secundum hoc fornicatio esset sacramentum illius conjunctionis, quod est absurdum: & ideo gentilitas priusquam à Christo desponsaretur in fidem Ecclesiæ, corrupta fuit à diabolo per idolatriam. Et ideo aliter dicendum, quod defectus in ipso sacramento causat irregularitatem; corruptio autem carnis extra matrimonium contingens, quæ præcessit matrimonium, nullum defectum facit in sacramento ex parte illius in quo est corruptio, sed facit defectum ex parte alterius: quia actus contrahentis matrimonium non cadit supra seipsum, sed supra alterum: & ideo ex termino specificatur, quod etiam est respectu illius actus quasi materia sacramenti. Unde si mulier esset ordinis susceptiva, sicut vir efficitur irregularis ex hoc quod ducit in uxorem corruptam, non autem ex hoc quod corruptus contrahit, ita fieret mulier irregularis, si contraheret cum corrupto, non autem si contraheret corrupta, nisi in alio matrimonio prius fuisset corrupta.*

Et per hoc patet solutio ad primum.

Ad secundum dicendum, quod in tali casu sunt diverse opiniones; tamen probabilius est quod non sit irregularis, quia carnem suam non divisit in plures.

Ad tertium dicendum, quod irregularitas non est poena inflictæ, sed defectus quidam sacramenti: & ideo non oportet quod semper sit voluntaria bigamia ad hoc quod irregularitatem causet; & ideo ille qui uxorem ducit corruptam, quam virginem credit, irregularis est eam cognoscens.

Ad quartum dicendum, quod si mulier fornicetur post contractum matrimonium, non efficitur ex hoc vir irregularis, nisi post corruptionem adulterinam eam iterato cognoscat: quia alias corruptio uxoris nullo modo cadit sub actu matrimoniali viri. Sed si etiam per jus ei debitum compellatur reddere, vel ex conscientia propria, illa petente debitum ante con-

In IV. Sent. Tom. V.

(4) *Al. deest concubinam.*

demnationem adulterii, irregularis efficitur: quamvis de hoc sint opiniones. Sed hoc quod dictum est, est probabilius: quia hic non queritur quid sit peccatum, sed significatio tantum.

ARTICULUS II.

Utrum bigamia per baptismum solvatur.

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod bigamia per baptismum solvatur. Dicit enim Hieronymus super Epist. ad Titum, quod si quis ante baptismum plures uxores habuit, vel unam ante, & aliam post, non est bigamus. Ergo bigamia per baptismum solvitur.

2. Præterea. Qui facit quod majus est, facit quod minus est. Sed baptismus tollit omne peccatum, quod est gravius quam irregularitas. Ergo tollit bigamiæ irregularitatem.

3. Præterea. Baptismus tollit omnem poenam ex actu proveniente. Sed irregularitas bigamiæ est huiusmodi. Ergo &c.

4. Præterea. Bigamus est irregularis, inquantum deficit à representatione Christi. Sed per baptismum plene Christo conformatur. Ergo solvitur illa irregularitas.

5. Præterea. Sacramenta novæ legis sunt magis efficacia quam sacramenta veteris legis. Sed sacramenta veteris legis solvebant irregularitates, ut in I. Lib. dictum est à Magistro. Ergo & baptismus, qui est efficacissimum sacramentum in nova lege, solvit irregularitatem ex bigamia contractam.

Sed contra est quod Augustinus dicit, Lib. de bono conjug. cap. xviii. *Acutius intelligunt qui nec enim qui cathecumenus, aut paganus habuit alteram, ordinandum censuerunt: quia de sacramento agitur, non de peccato.*

Præterea. Sicut idem dicit, femina si cathecumena, vel pagana viciata est, non potest inter Dei virgines post baptismum velari. Ergo eadem ratione nec bigamus ante baptismum ordinari.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod baptismus solvit culpam, & non solvit conjugia: unde cum ex ipso conjugio sequatur irregularitas, per baptismum tolli non potest, ut dicit Augustinus, ubi supra.

Ad primum ergo dicendum, quod in casu isto non tenetur opinio Hieronymi; nisi forte velimus eum exponere, quod loquitur quantum ad superiorum dispensationem.

Ad secundum dicendum, quod non oportet ut quod facit majus, faciat minus, nisi sit ad id ordinatum; & hoc deficit in proposito, quia baptismus ad irregularitatem tollendam non ordinatur.

Ad tertium dicendum, quod hoc intelligendum est de poenis quæ consequuntur ex actuali peccato quasi inflictæ, non infligendæ: non enim aliquis virginitatem per baptismum recuperat, & similiter nec carnis indivisionem.

Ad quartum dicendum, quod baptismus conformat Christo quantum ad virtutem mentis, sed non quantum ad statum carnis, quæ consideratur in virginitate, vel divisione carnis.

Ad quintum dicendum, quod illæ irregularitates ex levibus causis, non perpetuis erant contractæ, & ideo etiam per illa sacramenta auferri poterant; &